



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Diss.

3006

- 6 -

Fiche

1960.  
3006/6.

Diss  
3006/6



1960

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>  
PHILOSOPHIA CHRISTIANA,  
*De*  
JURE NATURALI  
PARADISIACO,

*Contra*

G. V. M. Belgam:

*Quam*

DEI GRATIA

*&*

Inclut<sup>z</sup> Facult. Philosoph. Induku;

PRÆSIDE

D. VAL. ALBERTI, P.P.

*Parente suo pie Venerando,*

Publico Doctorum Examini  
submittit

d. XXVI. Januar. A. MDCXCV.

CHRISTIANUS Gottfried ALBERTI,

Magisterii Candid.

H. L. Q. C.

---

LIPSIAE,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

V I R O  
Reverendo plurimam, Amplissimo Clarissimoq;  
DOMINO  
**M. CHRISTOPHORO**  
**Sensfert/**

Ministro Verbi, de Ecclesia,  
Quæ Magistro ejus, JESU CHRISTO, Gorlicii colligitur,  
Præclare optimeque Merito;  
Deo per pietatem,  
Proximo per Candorem  
Bonisque omnibus per Virtutes  
Verè Christianas  
Et ad Exemplum usque consummatas  
Gratisimo;  
Amico Parentis Mei Amicissimo,  
Nunquam Reconciliato,  
Nec unquam Reconciliando;

**PATRONO MEO**

*Hoc, quicquid est, Sacrum esse cupio*



CHRISTIAN Gottfried ALBERTI.



120.

Ad  
CHARISSIMUM

# F I L I U M,

Respondentem hodie Suum Parenſ.



Ognatæ valde ſunt duæ illæ quæſtio-  
nes: (1.) An Jus Naturæ in ſtatu  
corrupto ab integro pendeat nec ne,  
notitiaque illius perfeclior ex hoc à  
nobis Christianis deduci poſſit? (2.)

An Jus Naturæ in ipſo ſtatu integro homini conve-  
nerit nec ne, inque eo fuerit examuſſim? Priorem  
inter eos, qui Reformatæ, quam vocant, Religio-  
ni addicti ſunt, nemo afferuit clariùs; nemo adſtru-  
xit certiūs Friderico Spanbeimio, Patre, (cujus ego  
judicium multorum inſtar aſſimo, in quo cum Vos-  
ſio Epift. 476.) quando Dubior. Evangelic. (quo la-  
bore non capior modò; ſed ſatiare me vix poſſum;  
iterum cum Vosſio Epift. 543.) part. 3. dub. 112. pag.  
549. Illa, inquit, (præcepta moralia) aboleri neque-  
unt, quin aboleatur ipsa Dei imago. Et ibid. dub. 120.  
p. 606. Divortium quidem fuit malum, ſed non in-  
diſpensabile, verūm diſpensabile ab illo, qui condi-

A 2 dit

*dit legem. Nec enim id contrarium erat imagini  
Dei, sed tantum sanctioni liberae à Deo instituta,  
Posteriorem verò ex eodem cœtu nemo negavit a-  
periūs, nemo impugnavit acriùs J Cto illo Belgico,  
contra quem Tu, Mi Fili Dilectissime, chartas has  
publicam in lucem emitteis, inque cathedra defen-  
dere haud vereris.* Bonum factum; cum illud  
*Par agnatarum quæstionum sic inter nos, Paren-  
tem & Filium, apte distribuatur, Tuque alteram  
facias tuam, postquam ego primam jam pèr annos  
sedecim in publicis scriptis calculo meo comproba-  
vi, propriamque vindicavi mihi.*

*Hac iter Elysium nobis; Virgil. En. 6.*  
*In statum nimirum primævum ex hodierno, in fe-  
licem ex misero, è turbulentō in tranquillum uter-  
que sic reducimur, ut ibi quoque Jus Naturæ, æquè  
ac reliqua omnia, integrum atque purum invenia-  
mus. Inter arbores Platoneti docuisse novimus.  
Academiaz loco illi titulus; cuius amore captum  
Ciceronem hoc nomen villæ cuidam lux imposu-  
isse inque eo libris conscribendis vacasse, accepimus.  
Quid in hortum amœnissimum, quid in Paradisum  
iplum, quid in divinam Academiam nos expatriari,  
& Naturale Jus inter alia Naturæ bona consumma-  
tissima querere gravemur?*

*Hic etiam apparent lympæ non ante reperte,  
Languida quæ infuso lumina rore levant;  
Quod*

921

Quod ego certius de hoc Creatoris horto, quam  
Poëta (*Laurea Tullius apud Plin. Natur. Histor. L.*  
*31. cap. 2.*) de villa Ciceronis, assero; & unusquisque,  
qui hâc via in fontem Juris Naturalis inquisiverit,  
verissimum deprehendet. Agnoscis verba mea,  
quibus jam pridem Studiolam Juventutem (*in-*  
*Parænesi mea, p. 170. Erot. Lips.*) ad sequendum me  
præeuntem, Ducem aut comitem, decenter invitâ-  
vi; lætorque haud parum, Te inter eos comparere  
non tantum, sed & publicè id luculento testari ar-  
gumento. Fateor quidem, Te id pleniùs præsta-  
re potuisse, præsertim si Jus Naturæ in statu integri-  
tatis non tantum exritisse, sed & longè perfectius  
(proper subiecti sui excellentiam) fuisse, simul o-  
stendisses. At verò cùm non possit non agnoscere  
hanc ejus ἔξοχην unusquisque, qui argumenta tua,  
pro existentia ejus in illo statu adducta, legit ac per-  
pendit; prudenter mihi fecisse videris, quod ab hac  
excursione abstinuisti; præsertim cum super exi-  
istentia Juris Naturalis in statu illo felicissimo, unice  
inter Te ac Adversarium Nostrum disputetur, inter-  
que hos cancellos tibi, non minus ac illi, sit subsisten-  
dum: Quemadmodū etiam leges methodi securus,  
rectè veram primùm sententiam proposuisti & ad-  
struxisti, fatiam pòst examinasti & refutasti. Faxit  
modò Deus, ut in Cathedra non minus quam char-  
ta, hæc Tibi omnia cedant feliciter!

C.B.D.

C. B. D.

§. I.



Ueritatem: Jus naturale Paradisi acum afferendum sit an negandum? Aut clarius: An duo homines primævi, Paradisi incolæ, in statu Integritatis subiecta fuerint Juris naturalis nec ne?

§. 2.

Quis verò miraretur, si auditâ hâc quæstione dices, quod tritô in sermone proverbio Græci: *καὶ λαλῶν ζητοῖς ὑδωρ, in mari aquam queris.* Nam in homine-integro cum recta fuerint omnia, quomodo deesse illi potuit fons & origo rectitudinis moralis, Jus nimirum naturalē?

§. 3.

In alia tamen omnia nostro tempore abxit G. V. M. JCtus Ultrajectinus, quem Georgium van der Mælen, juxta indicium literarum initialium dici, a Viris fide dignis acceptimus. Edidit hic A. 1684. *Dissertationem de Origine Juris Naturalis*, inque ea id operam dedit unicè, ut Jus Naturæ e statu integrō ejiceret totum, inque corrupto proprium faceret nobis. Huic opposuit Dn. D. Simon Heinricus Musæus, in Acad. Kilon. Professor J. N. & G. Cellerimus, *Vindicias J. N. Paradisi*, nec non ad defensionem G. V. M. suam iterum *Responsionem*. Μογάλη χάρεις ἀντώ.

§. 4.

Notum autem est, quod jam pridem Dominus Parentes Jus Naturæ e statu integro in corruptum derivaverit; tantum abest, ut in illō agnoverit nullum. Quid itaque mirum, si & ego pro Jure Naturali Paradiſeo jam pugnem?

§. 5.

JZL

§. 5.

Assertio unica: IN HOMINE INTEGRO FUIT  
OMNINO JUS NATURALE.

§. 6.

En vero thesin Philosophiae Christianæ propriam! Status enim integer pertinet ad illa præsupposita, quæ Philosophus non e lumine naturæ, sed gratiæ tantum cognoscit. Quemadmodum etiam potissima argumenta, quæ inter rationes, tanquam Triarios ultimò loco §. 9. seqq. adducemus, haud aliâ hypothesi nituntur.

§. 7.

Argumentor: (1.) Quicunque status homini vere fuit Naturalis, in eo non potuit non esse Jus Naturale. Atqui Status Integritatis &c. E. De Majori constat ex harmonia inter statum ejusque Jus; quæ exactissima omnino est, si status naturalis à Jure sui generis, h. e. à naturæ dirigatur. Min. probatur: Quia in statu integritatis Natura hominis fuit recta, quæ sola statum Naturalem facit; sicut corrupta legalem aut corruptum: prorsus sicut morbi non secundum, sed præter aut contra naturam se ad hominem habere, vulgo dicuntur. Ut taceam, in quo cum Dn. Parente Part. 1. Compend. J. N. cap. 1. pag. 43: id communiter naturale dici, quod sub ortum alicui rei contingit: quem in modum aqua piscium, aer avium locus naturalis est, quoniam idem natalis est.

§. 8.

Colligo (2.) Si in unoquoque animali semper sunt τὰ πρῶτα τῆς Φύσεως, sequitur quod in animali rationali siye homine semper fuerint τὰ δέυτερα ejus. Atque prius est verum. E. & posterius. At vero quid inde? Jus nimisrum Naturale aut axiomata ejus non pauca pertinent ad τὰ δέυτερα τῆς Φύσεως. E. si hæc fuerunt semper, non potuit non

non illud etiam semper esse. De consequentia vero Majoris ut è clarius constet, notandum est, Stoicos, Autores illius distinctionis inter τὰ πεῖσμα καὶ τὰ δένησις τῆς Φύσεως, intellexisse per illa stimulos in unoquoque animali, ad appetendum aliquid aut ayersandum; sicut per hæc dictamina rectæ rationis in homine, per quæ honesta facere inhonestaque fugere jubetur. Hinc illa Cicero, principia, initia, primas conciliationes (in homine nimirum, quatenus animal est,) 2.3. & 5. Finium & i. Academ. qu. hæc verò Gellius reputationem, subtiliorem & explanatiorem delectum (in homine quatenus rationalis est) L. XII. cap. 5. vocat. Animal itaque, cum in se, quatenus est animal, habeat illa, τὰ πεῖσμα, sine loci & temporis exceptione; quomodo homo, quatenus est rationalis, non possideat semper ac ubique τὰ δένησις illa, sibi propria, primisque illis longe perfectiora? Firmissima consequentia.

### §. 9.

Arguo (3.) Quocunque Jure opus habuit homo integer, illud fuit in statu integratatis. Atqui Jure N.&c. E. Major patet. Tanta enim hominis integri fuit perfectio, & ex decreto divino esse debuit, ut nullius rei, quæ ad illam spectare aut facere poterat, defectus adfuerit, aut adesse potuerit. Minorem probo. Homo enim integer opus habebat Jure Naturali, non quidem propter inclinationem ad peccandum; hanc enim prorsus erat destitutus; sed propter aptitudinem, qua eum non caruisse, eventus eheu! docuit abunde. Acute ac accuratè Augustinus Libr. ultimo de C. D. c. ult. *Homo beatus non poterit mori; homo verò integer poterat non mori; sicut homo corruptus non potest non mori.* Sic nos per imitationem: *Homo beatus non poterit peccare; homo verò integer poterat non peccare; sicut homo corruptus non potest non peccare.* Hunc in modū homo in-

JZB

integer non quidem ferebatur per inclinationem naturæ suæ, ad relūctandum DEO, nec ad honorem debitum ei de- negandum; nec ad lādendum proximum; quæ tamen de- lictorum triga lapsus ejus comitabatur, dum non obediret Deo, edendo de arbore vetita; nec, cum Deitatem affecta- ret ipse, Deum decenter veneraretur; proximum vero, quid? totum genus humanum, inficiendo illud interfici- endoque, enormissime lāderet. Hoc igitur postquam fe- cit, nullum dubium est, quin facere potuerit. Hinc per prima illa Juris N. principia, Superiori parendum, suum cuique tribuendum, neminem vero lādendum esse, omnis no admonebatur.

§. 10.

Infero (4.) Quodcunque Jus in statu corrupto est in- ter reliquias imaginis divinæ, illud in integro inter partes ejusdem imaginis fuit. Atqui Jus N. &c. E. De Majori dubitare haud potes. Inspice rudera collapsi ædificii; ea- que prius partes ejus fuisse adverte: Sic quas DEI gratia possidemus adhuc reliquias imaginis divinæ, partes ejus fuisse olim, adeoque in statu integro, non minus ac ima- ginem divinam ipsam, extitisse vides. De veritate vero Minoris ut clarius constet, notandum est, concreatas fuisse homini integro perfectiones, tam ad spiritualem, quam ad naturalem & civilem vitam pertinentes, easque omnes nomine imaginis divinæ venire, sed in diverso gra- du alioque significandi modo. Quæ ad spiritualem vi- tam spectant, erant partes ejus principales, reliquæ mi- nus principales: Illæ stilo Biblico, hæ Ecclesiastico imago divina dicuntur. Notitia verò Juris Naturalis ad civilem vitam, quam perficit atque dirigit, absque dubio perti- net, ideoque in Minoris Nostra inter reliquias imaginis divinæ, usu Ecclesiæ sic dictæ, fertur. Nec per hoc con-

B

se-

sequentia in Majori convellitur aut labefactatur. Adde, sis, hanc limitationem: Quodcunque Jus in statu corrupto est inter reliquias imaginis divinæ sensu Ecclesiastico sic dictæ, illud in integro inter partes ejus eodem sensu fuit; clarissima omnino certissimaque illatione.

§. II.

Quid? quod ipse Spiritus Sanctus Legem NB. naturalem, *πνεύμα τὸ νόμος*, opus legis illius, quam gentiles ex parte (*τὰ τὸ νόμος*) faciebant, expresse vocat scriptum *in cordibus hominum Rom. II, 15.* quod habeant opus legis naturæ cordibus suis inscriptum NB. in prima creatione; B. Balduin. in Explicat. b.l. Et plenius ib. qu.XI. Lex naturalis est omnibus hominibus in prima creatione insita, secundum quam quilibet scit discrimen honestorum & turpium, de qua expresso agitur in hoc capite. Quid? quod scriptio in corde (Si de qualitatibus inbarentibus sermo sit) perpetua Scriptura pbrafi excludat omne acquisitum omnemque operam nostram notetque ea tantum, que nobis sine nobis impressa sunt; B. Baltbas. Meisnerus L. III. de Legib. p. 166. Nascitur hinc argumentum prorsus invictum:

Quodcunque Jus homini fuit concreatum, id in homine primævo aut integro fuit. Atqui Jus Naturæ &c. E.

Ad testimonium autem divinum quodnam aliud quadret magis, quam quod in Libb. Nostris Symbolicis extat? Ita vero Formula Concord. in Repetit. ac declarat. Art. 2. de Lib. Arbitr. p. 657. Humana ratio seu naturalis intellectus hominis obscuram aliquam notitiae illius scintillulam reliquani habet, quod sit Deus: & particulam aliquam legis tenet. Et in Artic. 1. de peccato Orig. p. 640. In externis & bujus mundi rebus, qua rationi subjecta sunt, relictum est homini adhuc aliquid intellectus, virium & facultatum. Plane ad mentem ipsius.

J-7.

ipsius Aug. Confessionis Artic. 18. Humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & diligendas res rationi subjectas. Biblico verò Symbolicoque huic testimonio si adjiceremus sententias Patrum aliorumque Ecclesiae Doctorum, necteretur, quod in proverbio dicitur, funiculus triplex, qui non facile rumpitur. Sed cum id præstatum jam sit a Dn. Parente in Compend. J. N. part. i. cap. 2. p. 76. seq. actum hic agere non liber.

§. 12.

Cave vero putas, nos, cum Jus N. homini integro asserimus, omnia Juris N. axiomata, quæ hodie obtinent, ad statum integratatis aptare velle. Sicut enim ipsum honestum duorum est generum, unum, utrius statui, tam integro, quam corrupto commune; alterum, soli corrupto proprium: Ita axiomata illa Juris N. quæ honestum prioris generis (parentum esse superioribus &c.) præcipiunt, utrius statui convenientiunt; reliqua ad corruptum tantum quadrant, sicut ad id, quod in eo natum est, honestum, unice respiciunt; qualia sunt illa omnia, inquit Dn. Parens cit. l. p. 43. quæ vel malum culpe (facilem esse ad condonandas injurias &c.) vel poena (subvenire misericordias &c.) presupponunt. Quo etiam pertinent ea, quæ tantum in casu necessitatis licite sunt.

§. 13.

Ad hæc vero axiomata statui corrupto propria, si respicias, nihil falsi aut absurdii statuit vel B. Dn. Hulsemannus, quando in prelectionibus in Form. Concord. Oper. postb. pag. 348. sensum equitatis & bonitatis post lapsum reliquum tam incompetenter dici putat legem naturæ, quam deflorata Virgo, virgo est & dicitur; vel Dn. Osiander, Theologus Meritiss. quando Legem Naturæ in statu integratatis non esse eandem cum illa, quæ est in statu lapsus, asserit in

*Type. Legis Nat. pag. 168. vel Gener hujus, Celeberr. Dn. Jagerus, qui in Tractatu de Legibus pag. 113. seqq. utriusque sententiam adducit ac defendit. Sufficit, quod non pauca Juris N. axiomata utriq; statui sint communia, ejusdemque non minoris utrobique tenoris quam valoris; quemadmodum etiam illa, quæ statui corrupto propria sunt, virtualiter in istis latuerunt, & ad analogiam status integri, tum ipsa sunt formata, tum corruptum etiam integro assimilare naddū apur nituntur; quod a Dn. Parente passim est deductum probatumque. Deinde Trium-Viri etiam illi Jus N. longe latius, quam nos, accipiunt, ut dictionem veri Numinis, Patris, Filii & Spiritus S. sub eo comprehendant; vid. Qsian. & Jägerus d. l. quo pacto ērāsio ērās, si quod videtur esse, inter nos similiter tollitur.*

#### §. 14.

E diametro verò sententiæ nostræ opposita est novitas nominati supra Belgæ, cùm Jus N. surripiat homini integro prorsus, idque corrupto vindicet totum; ideoque cum hoc nobis erit agendum.

#### §. 15.

Enimverò si per Jus N. intelligas rectam illam animi dispositionem, qua homo in statu integro inclinabatur versus ea, que nature sua integratitudine respondebant & Deo creatori suo placebant, ideoque justa, bona & recta erant, liberalis esse vult; inque hoc sensu Jus N. integro homini concedere; in defens. dissertat. de Orig. J. N. p. 34. seq. sed si Jus informali suo spectes, eique obligationem, ceu par est, tribuas, id in hominem integrum haud cecidisse statuit, ib. pag. 36. alibique passim.

#### §. 16.

πεῶτεν ψεῦδος Novatoris est, quod non noverit satis, qualis olim status integer fuerit. Si status, inquit d. l. p. 27. ille

925.

ille beatissimus primævi nostri parentis in hunc usque duraverisset diem, quid legibus, quid fure opus fuisset? cum sponte fecissent (homines,) quod justum & æquum est; verum corrupta lapsu hominis natura:

Protinus irrupit vena pejoris, in avum  
Omne nefas; fugere pudor, verumque fidesque:  
In quorum subière locum fraudesque dolique,  
Insidiaque & vis & amor sceleratus babendi.

Potro ibid. pag. 35. Appetitus (hominis integri) cum deberet esse conformis sanctæ divinae imagini, qua ornatus erat homo, semper ferebatur in bonum; neque a recto illo tramite deviare poterat procedendo, id est, innatasibi inclinationes & bene dispositam voluntatem sequens. Qualia in dissert. ipsa ejusque defensione passim invenis.

### §. 17.

Quis vero primo horum verborum intuitu non putet, Novatorem de statu primævi hominis magnifice non minus sentire, quam loqui, tantamque ei, quanta potest esse cum est maxima, tribuere perfectionem? Beatissimus hic ipsi dicitur status, in quo appetitus hominis sanctæ divinae imagini debuerit esse conformis; hominem in eo semper latum fuisse in bonum, imo sponte fecisse, quod justum & æquum est, assent; quid? a recto illò tramite deviare ipsum non potuisse statuit, sequentem nimirum innatasibi inclinationes & bene dispositam voluntatem. Quid splendidius de statu hominique integrō dici potuisset? At vero latet anguis in herba, cuius venenum caute a nobis est tangendum detegendumque.

### §. 18.

Incipiamus ab eo, quod sponte hominem integrum fecisse justum & æquum dicit. Cave hic putes, veram ab ipso libertatem homini integrō tribui, quæ ad omnes actiones

nes honestas & laudabiles quam maxime requiritur. *Primi*  
*potius Parentes* ( ita explicat ipse se in *dissert.* §. 14. & 21. ) in  
*statu innocentiae ex puro naturali impulsu & recta & bene*,  
*disposita inclinatione libenter & cæto impetu ex naturali in*  
*clinatione, recta & bona, & quæ bodie legibus naturalibus di*  
*cuntur conformia, fecerunt. Beatissimum deinde hunc*  
*statum dicit, non, quod in homine integro cognitionem*  
*virtutis, in qua vera beatitudo moralis consistit, agnoverit*  
*aut admirerit; sed actiones materialiter tantum virtuosas,*  
*quas ex naturali impulsu exercuisset. Talis vero actio vix*  
*hominem decet, cum sciens non minus quam volens age*  
*re debeat; tantum abest ut beatum eum reddat. Tandem*  
*vero à statu integro fraudesque, dolosque, insidiasque &*  
*vim; imo omne nefas recte quidem removet; sed quod*  
*hominem integrum a recto illo tramite deviare non potu*  
*isse dicit, id vero est, quod a regia veritatis via recedit ni*  
*mis. Vid. *suprà* §. 9.*

### S. 19.

En igitur ignorantiam Novatoris, quam in describen  
do statu integro commisit ac ostendit. Auderem dicere,  
per nimium amorem, quo *Hug. Grotium* prosequitur, ex  
cœcatum fuisse ipsum adeo, ut in hunc errorem inciderit,  
eumque in suum πεῖται φεῦδος, quo niteretur totus, con  
verterit. Quidni vero non auderem? Nam erat, inquit,  
*magis in homine* ( integro ) *ignorantia vitiorum, quam co*  
*gnitio virtutis; quæ sunt ipsissima verba Grotii L. II. de J. B.*  
*& P. c. 2. §. 2.* sicut cum eodem aliâ etiam quavis occasione  
passim amat loqui. His vero involuta sunt comprehensa que  
ea omnia, quæ de statu homineque integro clarius expressit  
ipse, secundum *allegata* §. 18. Scire vero aut meminisse de  
bebat, *Grotium* nonnunquam Socino favere haud parum.  
*Socinismi*, inquit *B. Dorsch. Theol. Zachar. cap. 8. §. 148.*

p. 162.

975.

p. 162. ista sunt Emblemata: Adamum instar infantis vel pueri fuisse, qui quid esset, nudum esse, ex se ipso, antequam de fructu arboris scientia boni & mali comedisset, scire non potuerit. Virtutes, Justitiam, sanctitatem, sapientiam &c. Adquaque tribuero necesse non esse; satis superque esse, si simplicitas & innocentia ei. tribuantur. Propositiones Grotii cit. l. hæ sunt: Simplicitatis, in qua primi homines sunt conditi, argumentum præbuit nuditas. Erat in illo ignoratio magis vitiorum, quam cognitio virtutis: DEUS creavit juxta Ecclesiastem VII. 30. hominem rectum, id est, simplicem. Numquid ovum ovo similius, quam hoc l. Socino Grotius? Hoc si observasset, cavisset sibi credo a periculo incendi eadem in præcipitia Socinianorum; de quo hac occasione prolixe agit Dn. Musæus in *Vindiciis* pag. 173. seqq.

### §. 20.

Contra, si de homine integro recte sentias, tribuendo illi veram plenamque libertatem ad agendum bonum, cum aptitudine tamen ad faciendum malum; quem in modum tunc omnino homo se habuit; ad omnia, quæ Novator opponit, argumenta haud difficulter respondere poteris.

### §. 21.

Primum legitur in *Dissert. §. 3.* pertenditurque in ejus defensione pag. 151. seqq. In quo statu nulla fuit injuria, in eo quoque nulla Lex, Jus nullum fuit. Atqui in statu integro &c. E. Limito statim Majorem ex modo dictis. In quo cunque statu nulla injuria fuit, nec esse potuit &c. Sic vero nego Minorem. Nam actus eheu! de potentia sati superque testatus fuit; eamque propter opus erat lege Naturali, ut in actum ne deduceretur; plane sicut DEUS legem positivam, de nobis edendo ex arbore scientia boni & mali tunc

tunc tulit, non quod homo jam ex ea comedisset, sed quod comedere posset. Ut taceam, Majorem etiam sine limitatione valere tantum de Lege prohibitiva: (Ubi nulla injuria, ibi nulla lex, scil. prohibitiva,) non de præceptiva. Hæc enim obligat ad bonum, etiam ubi non est malum.

§. 22.

Secundum extat (*ibid. §. 4.*): In quoque statu homo non potuit habere ideam boni & mali, in eo Jus N. non fuit. Atqui in statu integratis &c. E. Transeat Major, cum ignoti nulla cupido, nec aversatio ulla; Lex vero ad alterutram, præcipiendo bonum & prohibendo malum, obliget. Minor revera ipsi subnata est ex errore de simplicitate primorum hominum, quibus cognitionem virtutis denegabat, ignorationem vitiorum tribuebat. Nititur tamen hanc illorum simplicitatem sua subtilitate juvare, *in defensione imprimitis p. 205. seqq.* De malo quidem ejusque idea constare putat, quod cum illud tunc non extiterit, concipi nec hæc potuerit. *Questio vero est*, inquit, *num boni ideam sub ratione boni habere possimus sine notione & idea mali? quod impossibile est; quia semper bonum & malum concipimus tanquam sibi invicem contraria & opposita; nunquam rem aliquam bonam esse percipio, nisi simul eam omni malo & vicio carere concipiam, neque malam esse, nisi per privationem boni judico.* At vero (1.) ideam mali habere potuit homo integer, tametsi nondum existentis; sicut Deus ipse ab æterno mala omnia in tempore futura cognovit. (2.) actu habuit, quando de morte audiit ex ipso Creatore, *Gen. II, 17.* lapsum subsecutura. Quo ipso etiam comestionem ex arbore vetita, malum moraliter fore cognovit. Malum enim poenæ sine malo culpæ dari nequit. (3.) Falsissimum est, ideam boni non posse haberi sine idea mali, ideo quia sunt opposita. *Quis enim e. c.* colo-

grat.

colorem nigrum non valeat concipere sine albo, & vicissim? Videtur autem in hunc errorem incidiisse, per confusionem diversorum oppositorum. De relative oppositis certum quidem est, quod unum non cognoscam sine altero; quemadmodum privationem etiam sine idea habitus, tanquam ejus absentiam concipere nequeo; habitum tamen sine respectu ad privationem unumque contrariorum sine altero nosse omnino possum.

§. 23.

Tertium: In quounque statu homo sponte recta & justa fecit, in eo illa sine cognitione legis fecit. Atqui in statu integritatis &c. E. Audi vero, quomodo ~~in~~ sponte h. l. accipiat, & exponat ipse. Sponte, inquit in defens. dissertat. pag. 224. agere, est impetu & inclinatione naturali ferri ad id, quod bonum & rectum est; quo sensu admittimus Majorem, sed negamus Minorem. Homo enim integer non ex impetu, sed cum ~~negcipere~~, faciebat recta & justa, adeoque sine coactione quidem omni, sub directione tamen legis, quia cum libertate nullo modo pugnat. Sed Novator non poterat hominem integrum in-agendo aliter describere, postquam eum adeo simplificem, ac prope stupidum concepisset, ut non minus in rectum ac justum, quam bruta in Venerem, cibum & potum, impetu naturali ferretur,

§. 24.

Hæc de argumentis, quæ ex imperfectione status integrum, a se nimiri per ~~κακογηλίαν~~ Socinizantis Grotii conficta, deduxit. Nunc autem, mutato quasi animo, perfectionem ejus urget, perque eam, Jus N. tanquam imperfectius quidpiam inde excludit.

C.

§. 25.

Quicquid enim (1.) implicat imperfectionem, id in statu innocentiae non habuit locum. Atqui Jus N. in differt. §. 18. 19. 20. &c. E. Minorem probat, tum aliis, tum his omnium clarissimis verbis in defens. p. 251. *Involuit lex, inquietans, imperfectionem, quia prohibitionem mali continet, & in nobis statim excitat ideam imperfectionis sive boni privationis, quoties prohibendo a malo nos avocat, & metu poenarum deterret.* Sed quis ignorat, discrimen esse longe maximum inter malum ejusque prohibitionem & ideam? Malum sane ipsum est imperfectio in se, suaque formaliter natura; sed prohibitio mali est bona, ideo quia est mali; & idea ejus pertinet ad res indifferentes; neutra vero ullam nisi objectivè adeoque prorsus extrinsecè connotat imperfectionem. Hinc DEUS, qui perfectissimus est sanctissimusque, prohibet malum ipse, ideamque ejus, sine laesione perfectionis sua infinita, d'adewmna d'as, loquendo, concipit, h. e. quid sit, omnium optime novit. Quanquam & hac notitia in pessimos quosque cadit; quia est indifferens, ceu modo notavimus. Et quæsio, cur in statu innocentiae lex positiva de non comedendo ex arbore scientia boni & mali inveniebat locum? quæ tamen prohibitionem mali continebat, & in Protoplantis statim excitabat ideam imperfectionis sive boni privationis, quoties prohibendo a malo eos avocabat, & metu poena deterribat. Præterea hac probatio est inadæquata, de solis nimirum legibus prohibitivis agens; cum & dentur præceptivæ, de objecto bono, quæ proinde nihil inde imperfecti participare possunt. Ut taceamus, Majorem non esse exceptio dictam, cum status innocentiae non fuerit simpliciter perfectus, qualis solus DEUS est; ideoque non omnem respuit imperfectionem.

Alterum argumentum, quod a perfectione status integritatis videri vult mutuari, continetur in *Dissertat.*  
 §. 33. nos scilicet DEUM peccati autorem constituere, si statuamus Adamum recenter e manibus purissimis sui Cre-  
 toris profectum, legibus vincitum & alligatum in mundum  
 provenisse. Quippe (ita commentatur in hæc verba in-  
 defens. *dissert.* pag. 255.) ubi leges & jura vigent, in primis  
 naturalia, ibi peccata & virtus obtinent: cum enim in finem  
 leges latas diximus; ad coercendam hominum malitiam, &  
 ut metu paenarum a virtu avocarentur mortales. Itaque  
 (sic pergit pag 256.) si hominem legibus alligatum creavit est  
 DEUS, id est, si ab ipso existentia sua momento ei infuis-  
 sent per dictamina leges Nature; oportet quoque ei innata  
 fuisse virtus prohibitionis objecta, ideoque non perfectus, sed  
 imperfectus, id est, virtus contaminatus usque obnoxius  
 fuisset; quod divina natura plane contrarium esset. Sed  
 quis hiare omnia, quis singula claudicare non deprehen-  
 dit? Nulla enim consequentia: Ubi leges vigent, ibi pec-  
 cata & virtus obtinent; potius ut ne obtineant, feruntur  
 atque vigent. Nulla: si ab ipso existentia sua momento  
 Protoplantis innotuissent per dictamina Leges N. oportet  
 quoque illis innata fuisse virtus, prohibitionis objecta.  
 Sufficit enim, hæc committi potuisse, ab homine inte-  
 gro, secundum dicta superius §. 9. sicut ad legem positi-  
 vam de non edendo ex arbore vetita ferendam satis erat,  
 edere ex illa Protoplasto potuisse.

Sed hæc sufficiant, pro modulo unius dissertationis  
 ad reprimendum Novatorem, postquam integris Libris  
 eum


eum jam refutavit laudatus supra *Dn. D. Musæus*, quem  
sis vide. Speramus autem fore, ut nobiscum ille in poste-  
rum ex ipso fonte, quod est, e *Paradiso* hauriat aquam,  
dalciusqne bibat, qnàm e lacunis status corrupti; audiet  
alias ex nobis illud *Proprietii Elegiar*: I. 9.

*Quid si non esset facilis tibi copia? nunc Tu  
Insanus medio flumine queris aquam.*

*Ἐπίμετρον.*

**C**anon Philosophiæ Christianæ est: Cujus contrarium  
est revelatum, illud nec ponendum est, nec præ-  
supponendum. Benè igitur *Salmasius* in pafat. ad Le-  
ctor. Libb. de Trapezit. fænore, postquam præmisisset illud  
Pauli Rom. XIII, 2. (DEI ordinationi resistit, qui resistit  
potestati:) Nulli igitur, inquit, Ecclesia, multo minus  
reformationem professe liceret hodie Canones condere, qui-  
bus vetarentur tributa aut vectigalia exigiri, que Magistratus  
civibus imponit, quamvis maximum inde gravamen sen-  
tientibus. Sed nec ullis Ecclesia decretis tributorum exactio-  
nes, portatores & publicani, Ecclesia communione justè pos-  
sent privari, quin illi ὡταραγη, que debetur  
potestatibus à DEO ordinatis,  
renuncietur.

S. D. G.



Digitized by Google

